

Passio
Acaunensium
martyrum

herausgegeben von Norbert Flörken

Zur Textgestaltung

Der Text „Passio ...“ folgt der Ausgabe der MGH: „Passiones vitaque sanctorum aevi Merovingici“, ed. B. Krusch, Hannover 1896. Krusch stützt sich vor allem auf zwei Pariser Handschriften: Parisiensi 9550 aus dem ausgehenden 7. Jahrhundert, und Parisiensis 17002 aus dem 10. Jahrhundert.

Der Text „Mauricius ...“ folgt weitestgehend dem Digitalisat der Staatlichen Bibliothek Regensburg (Stewart, 1617). Unterschieden wurden „u“ und „v“ nach der heute üblichen Schreibweise. Aufgelöst wurden ð zu æ, q; zu que, ã zu an/am, ë zu en/em, cõ zu con/com, û zu um.

Impressum

Copyright 2021 by Norbert Flörken

Inhalt

»Epistola Eucherii Lugdunensis episcopi ad Salvium episcopum«	5
»Passio Acaunensium martyrum« (ca. 440 n.Chr.)	6
»Eiusdem [Eucherii] prologus in martyrium S. Mauricii et sociorum eius«	11
»Mauricius Thebaeae legionis dux et signifer«	12
1605: L. Surius: »De vitis sanctorum omnium nationum ...«, Auszug	24
Literaturverzeichnis	25
Index	26
Anmerkungen	28

»Epistola¹ Eucherii² Lugdunensis episcopi ad Salvium episcopum«

<p>Domino sancto, et beatissimo in Christo, Salvio³ episcopo, Eucherius episcopus.</p> <p>Misi ad beatitudinem tuam, scriptam nostrorum Martyrum passionem. Verebar namque, ne per incuriam, tam gloriosi gesta martyrij, ab hominum memoria <2> tempus aboleret. Porro ab idoneis authoribus⁴ rei ipsius veritatem quæsivi, & ab his utique, qui affirmabant, se ab Episcopo Geneviensi sancto ISAAC⁵, hunc, quem protuli, passionis ordinem cognovisse: qui, credo, rursum hæc [retro a beatissimo episcopo Theodoro⁶] a viro temporis anterioris acceperit. Itaque cum alij ex diversis locis atque provinciis, in honorem officiumque Sanctorum, <i>auri</i>, atque argenti, diversarumque rerum munera offerant: nos scripta [haec nostra], si [vobis] suffragantibus dignantur, offerimus: utique exposcentes pro eis intercessionem omnium delictorum, atque in posterum iuge præsidium patronorum semper meorum. Mementote vos quoque nostri in conspectu Domini, Sanctorum semper officiis inhærentes, Domine sancte, & merito beatissime frater.</p>	<p>Bischof Eucherius an den Bischof Salvius.</p> <p>Ich schickte dir die Leidensgeschichte (Passio) unserer Märtyrer, geprüft nach den Schriftstellern, die sie gehört haben von dem Bischof Isaak von Genf, der sie wiederum von einem Gewährsmann aus alter Zeit hat.</p> <p>Andere mögen Gold oder Silber den Heiligen darbringen – wir legen diese Schrift vor.</p>
--	---

»Passio Acaunensium martyrum« (ca. 440⁷ n.Chr.)

(1) Sanctorum passionem martyrum, qui Acaunum⁸ glorioso sanguine inlustrant, pro honore gestorum stilo explicamus, ea utique fide, qua ad <33> nos martyrii ordo pervenit, nam per succendentium relationem rei gestae memoriam nondum intercepit oblivio. Et si pro martyribus singulis loca singula, quae eos possident, vel singulae urbes insignes habentur, nec inmerito, quia pro Deo summo pretiosas sancti animos refundunt, quanta excolendus est reverentia sacer ille Acaunensium locus, in quo tot pro Christo martyrum milia ferro caesa referuntur? Nunc iam ipsam beatissimae passionis causam loquamur.

(2) Sub Maximiano⁹, qui Romanae rei publicae cum Diocletiano¹⁰ collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati aut imperfecti martyrum populi. Idem namque Maximianus, sicut avaritia, libidine, crudelitate ceterisque vitiis obsessus furebat, ita etiam exsecrandis gentilium ritibus deditus et erga Deum caeli profanus, impietatem suam ad extingendum christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequa militum turmis, vel ad supplicia vel ad necem rapiebantur, ac velut vagatione barbaris gentilis data prorsus in religionem arma conmoverat.

(3) Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebaei appellabantur. Legio autem vocabatur, quae tunc sex milia ac sexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant viri in rebus bellicis strenui et virtute nobiles, sed nobiliores fide; erga imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Euangelici praecepsi <34> etiam sub armis non inmemores reddebat quae Dei erant Deo et quae Caesaris Caesari restituebant.

(4) Itaque cum et hi, sicut ceteri militum, ad pertrahendam christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt adque huiusmodi praecepsis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat, nam se circa Octodurum¹¹ itinere fessus tenebat. Ubi cum ei per nuntios delatum esset, legionem hanc adversum mandata regia rebellem in Acaunensibus augustiis substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit.

(5) Sed mihi, priusquam reliqua commemorem, situs loci eius relationi inserendus videtur. Acaunus sexaginta ferme milibus a Genavensi urbe abest, quattuordecim vero milibus distat a capite Limanni lacus, quem influit Rhodanus. Locus ipse iam inter Alpina iuga in valle situs est, ad quem pergentibus difficulti transitu asperum adque artum iter panditur; infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix pervium viantibus aggerem reliquit. Evictis transmissisque angustiarum faucibus, subito nec exiguis inter montium rupes campus aperitur. In hoc legio sancta consederat.

(6) Igitur, sicut supra diximus, cognito Maximianus Thebaeorum responso praecipiti ira fervidus ob neglecta imperia decimum quemque ex eadem legione gladio feriri iubet, quo facilius ceteri regis praecepsis territi metu cederent; <35> redintegratisque mandatis, edicit, ut reliqui in persecutionem christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebaeos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, iniungi sibi rursum exsecutiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur adfirmantium, numquam se ulli in haec tam sacrilega ministeria cessuros, idolorum se profana semper detestatos, Christianis se inbutos sacris et divinae religionis cultu institutos, unum se aeternitatis Deum colere, extrema experiri satius esse, quam adversum christianam fidem venire.

(7) His deinde compertis Maximianus omni belua cruentior rursus ad ingenii sui saevitiam redit adque imperat, ut iterum decimus eorum morti detur, ceteri nihilominus ad haec quae spernerent conpellentur. Quibus iussis denuo in castra perlatis segregatus adque percussus est, qui decimus sorte obvenerat, reliqua vero se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam praeclaro opere persisteret.

(8) Incitamentum tamen maximum fidei in illo tempore penes sanctum Mauricium fuit primicerium tunc, sicut traditur, legionis eius, qui cum Exuperio, ut in exercitu appellant, campidoctore et Candido senatore militum accendebat exhortando singulos et monendo. Fidelium commilitonum et iam martyrum exempla ingerens, pro sacramento Christi, pro divinis legibus, si ita necessitas ferret, omnibus et moriendum suadebat aequendosque admonebat socios <36> illos et contubernales suos, qui iam in caelum praecesserant. Flagrabat enim iam tunc in beatissimis viris martyrii gloriosa ardor.

(9) His itaque primoribus suis adque auctoribus animati, Maximiano insania adhuc aestuanti mandata mittunt sicut pia, ita et fortia, quae feruntur fuisse in hunc modum:

»Milites sumus, imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam; a te stipendium laboris accepimus, ab illo vitae exordium sumpsimus. Sequi imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Deum auctorem – velis nolis – tuum. Si non in tam funesta conpellimur, ut hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus; si aliter, illi parebimus potius, quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentiam cruentare nefas ducimus. Dexterae istae pugnare adversum impios adque inimicos sciunt, laniare pios et cives nesciunt. Meminimus, nos pro civibus potius, quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro iustitia, pro pietate, pro innocentium salute. Haec fuerunt hactenus nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro fide; quam quo pacto conservabimus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus? Iuravimus primum in sacramenta divina, iuravimus deinde in sacramenta regia; nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad poenam per nos requiri iubes. Iam tibi ex hoc alii requirendi non sunt, habes hic nos confitentes: „Deum patrem auctorem omnium et filium eius Iesum Christum deum credimus.“ Vidimus laborum periculorumque nostrorum socios, nobis quoque sanguine aspersis, trucidari ferro, et tamen sanctissimorum commilitonum mortes et fratrum funera non flevimus, non doluimus, sed potius laudavimus et gaudio prosecuti sumus, quia digni habitu essent pati pro domino Deo eorum. Et nunc non nos vel haec ultimae vitae necessitas in rebellionem coegit, non nos adversum te, imperator, armavit ipsa saltim, quae fortissima est in periculis, <37> desperatio. Tenemus, ecce! arma et non resistimus, quia mori quam occidere satis malum, et innocentes interire, quam noxi vivere praoptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc iusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persecui christianos non possumus.«

(10) Cum haec talia Maximianus audisset obstinatosque in fide Christi cerneret animos virorum, desperans, gloriosam eorum constantiam posse revocari, una sententia interfici omnes decrevit et rem confici, circumfusis militum agminibus, iubet. Qui cum missi ad beatissimam legionem venissent, stringunt in sanctos impium ferrum, mori non recusantes vitae amore. Caedebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltim aut repugnantes, sed, depositis armis, cervices persecutoribus praebentes et iugulum percuторibus vel intactum corpus offerentes. Non vel ipsa suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, ut ferro conarentur adserere iustitiae causam; sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est et tamquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tamquam grex dominicus ovium laniari se tamquam ab inruentibus lupis passi sunt.

(11) Operta est terra illic, procumbentibus in mortem corporibus piorum; fluxerunt pretiosi sanguinis rivi. Quae umquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? Quae feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos iussit? Ne iusti punirentur, multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat, quod multitudo delinquit. Hac igitur crudelitate inmanissimi tyranni confectus est ille sanctorum populus, qui contempsit rem praesentium ob spem futurorum. Sic imperfecta est illa plane angelica legio, quae, ut credimus, cum illis angelorum legionibus iam conlaudat semper in caelis dominum Deum Sabaoth.

(12) Victor¹² autem martyr nec legionis eiusdem fuit neque miles, sed emeritae iam militiae veteranus. Hic cum iter agens subito incidisset in hos, qui <38> passim epulabantur laeti martyrum spoliis, adque ab his ad convescendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognovisset, detestatus conviva detestatusque convivium refugiebat. Requiritibusque, ne et ipse forsitan christianus esset, christianum se et semper futurum esse respondit ac statim ab inruentibus interfectus est ceterisque martyribus in eodem loco & sicut morte, ita etiam honore coniunctus est.

(13) Haec nobis tantum de numero illo martyrum coperta sunt nomina. id est beatissimorum Maurici, Exuperi, Candidi adque Victoris; cetera vero nobis quidem incognita, sed in libro vitae scribta sunt.

(14) Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodorum passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est supra Arulam flumen neque longo a Rheno positum.

(15) Operae pretium est etiam illud indicare, qui deinde Maximianum trucem tyranum exitus consecutus sit. Cum, dispositis insidiis, genero suo Constantino, tunc regnum tenenti, mortem moliretur, deprehenso dolo eius, apud Massiliam captus nec multo post strangulatus tetromoque hoc suppicio affectus, impiam vitam digna morte finivit.

(16) At vero beatissimorum Acaunensium martyrum corpora post multos passionis annos sancto Theodore eiusdem loci episcopo revelata traduntur. In quorum honorem cum exstrueretur basilica, quae vastae nunc adiuncta rupi, uno tantum latere adclinis iacet¹³, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi.

(17) Accidit, ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad illud opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc gentilem esse constaret. Hic cum dominico die, quo ceteri ad expectanda diei illius festa discesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subito clara luce manifestantibus sanctis, hic idem faber rapitur adque ad penam vel supplicia distenditur, et visibiliter turbam martyrum cernens, verberatus etiam et increpatus, quod vel die dominico ecclesiae solus deesset vel illud fabricae opus

sanctum suscipere gentilis auderet. Quod adeo misericorditer a sanctis factum constitit, ut faber ille consternatus et territus, salutare sibi nomen poposcerit statimque christianus effectus sit.

(18) Neque illud in sanctorum miraculis praetermittam, quod perinde clarum adque omnibus notum est. Materfamilias Quinti egregii adque honorati viri, cum ita paralysi fuisse obstricta, ut ei etiam pedum usus negaretur, a viro suo, ut Acaunum per multum itineris spatium deferretur, poposcit. Quo cum pervenisset, sanctorum martyrum basilicae famulantium manibus inlata, pedibus ad diversorium rediit, ac sanitati de pre-mortuis restituta membris, nunc miraculum suum ipsa circumfert.

(19) Haec duo tantum mira passioni sanctorum inferenda credidi. Ceterum satis multa sunt, quae vel in purgatione daemonum vel in reliquis curationibus cotidie illic per sanctos suos Domini virtus operatur.

EXPLICIT PASSIO, QUAE OBSERVATUR DIE DECIMO KL. OCTOBRIS.

D[ominus] Mauricius, THEBÆÆ LEGIONIS DUX ET SIGNIFER, | Jam olim a S[ancto] Eucherio Episcopo Lugdunensi XX. | Nunc iterum a Petro Stevartio Leodio, S[anctissimae] Theol[ogiae] D[octore] professore, et procancellario Ingolstad[ensi] & ibidem ad D. Mauricii parocho, &c. in theatrum productus, | et serenissimo principi ac domino, domino Maximiliano¹⁴, comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ duci, &c. consecratus. | Cum notis et notationibus. | Accessit etiam officium S. Mauricii, in festo, & per octavam eius recitari solitum. | Ingolstadii, | Ex Typographeo Ederiano¹⁵, apud Elisabetham Angermariam viduam. | Anno MDCXVII. ¹⁶

»Eiusdem [Eucherii] prologus in martyrium S. Mauricii et sociorum eius«

Sanctorum passionem Martyrum, qui *Agaenum* locum gloriose sanguine illustrant, pro honore gestorum, stylo expli-
camus: ea utique fide, qua ad nos Martyrij ordo pervenit. Nam per succendentium re-
lationem, rei gestæ memoriam nondum intercapit oblivio. & si pro Martyribus singulis, *loca singula*, quæ eos possident, vel singulæ urbes insigne habentur: nec immeritoque quia pro <6> Deo summo pretiosas animas refundunt: quanta exco-
lendus est reverentia sacer ille Agau-
nensium locus, in quo tot pro Christo Martyrum millia ferro cœsa referuntur?
Nunc ipsam beatiss[imam] passionis caussam loquamur. [...]

<7>

»Mauricius Thebaeae legionis dux et signifer«

Caput I.

*Diocletianus Romanæ Repub[icæ] princeps, cum ad Imperium totius orbis fuisset electus, omnesque provincias turbari quorundam præsumptione perspicere; ad consortium Imperij, vel laboris, olim [=286] sibi commilitonem *Herculeum Maximianum* Cæsarem fecit: eumque contra Amandum & Ælianum, qui in *Bagaudarum*¹⁷ nomen præsumptione servili, arma commoverant, ad Gallias destinavit. Cui ad supplementum exercitus, Legionem *Thebæam*, ex orientalibus militibus, ire præcepit. Quæ legio, sex milia, sexcentos, sexaginta sex viros validos animis, & instructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo.*

Hi igitur milites, Christianæ religionis <8> ritum Orientali traditione, a Hierosolymitanæ Urbis *Episcopo*¹⁸ susceperant, fidemque sacram. Virtuti et armis omnibus præponebant. Ad urbem quippe Romanam itinere attingentes, eandem Christianitatis fidem, quam acceperant, apud beatum *Marcellinum*¹⁹, prædictæ Romanæ Urbis Pontificem, confirmaverunt: ut ante gladio interirent, quam sacram fidem Christi, quam acceperant, violarent. Recepti igitur a Diocletiano Cæsare, iubentur ut post Maximianum collegam, iter quod cuperant, ad Gallias tenderent.
[...]

<11>

Caput II.

Maximianus Cæsar, usu quidem militiæ, bellus aptus; sed idolorum specialis cultor, ferus animi, avaritia crudelis, libidini deditus, ceterisque vitiis obsensus; serenitatem Imperatoriam nimia crudelitate polluerat. In Galliam properans, ad Alpium Penninarum aditum venit.

Transmeantibus iter Alpium, post arduam & horridam viam, subito æqualis loci campestris occurrit, & grata planities. Quo in loco oppidum factum est, quod *Octodorum* nomen accepit: circa quod irrigua fluminibus parata, & agrorum fertilis cultura porrigitur: præcipue deinde Rhodani fluminis validus cursus offertur. Transcensis igitur Alpibus, Maximianus Cæsar Octodorum venit: ibique sacrificatus idolis suis, convenire exercirum iussit, atroci proposita *iussione*, ut per aras Dæmonibus consecratas iurarent, æqualibus sibi animis contra Bagaudarum turbas esse pugnandum: Christianos vero, velut inimicos diis suis, ab omnibus persequendos. [...]

<14>

Caput III.

Quod ubi primum pervenit ad notitiam Thebææ legionis, præteriens Octodorense oppidum, ad locum, cui Agauno nomen <15> est, celeriter properavit: ut octo millium spatio ab Octodoro separata, *necessitatem* committendi sacrilegij præteriret. Quo in loco, ita vastis rupibus Rhodani fluminis cursus arctatur, ut commandi faculate subtracta, constratis pontibus, viam fieri itineris necessitas imperaret.

Undique tamen imminentibus saxis, parvus quidem, sed amœnus, irriguis fontibus, campus includitur: ubi *fessi milites* legionis Thebææ, post laborem, tanti itineris resederant. O quanta *reverentia* excolendus est sacer locus iste, in quo tot pro Christo martyrum millia ferro Cæsaris puniuntur! [...]

<17>

Caput IV.

Maximianus Cæsar, dum ad *sacra menta* superius memorata cunctos in exercitu suo cogeretque agnovit, ut diximus, prætergressam legionem. Subito

*iracundiæ furore completus, Satellites mittit, ut legionem ad Sacramentorum suorem sacrilegia revocarent. Erat in eadem legione primicerius MAURITIUS, & et signifer EXUPERIUS, & CANDIDUS Senatorque, qui ita commilitonibus suis præerant, ut amore potius divinitatis, quam terrore militari obeunda præciperent: Viri in rebus bellicis strenui, & virtute mobilesque sed fide in Deum nobiliores: erga <18> Imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Evangelici præcepti sub armis *custodes*, reddebant quæ Dei sunt, Deoque & quæ Cæsar, Cæsari restituebant.*

Requirunt itaque, quid Maximianus Cæsar, ira dictante, mandasset. Dictum est ab iis, quos Cæsar miserat, milites omnes immolasse hostias, libasse Sacrificia, & Sacraenta phanatici ordinis præbuisse: iubere Cæsarem, ut legio festinanter revertens, commilitonum pareret exemplo.

Tunchi qui præerant legioni, miti affatu *dedere* responsum, ob hoc prætergressos se Octodorum, quia iam fama ad eos sacrificiorum ordinem detulisset: fas sibi visum esse, ne dæmonum aris Christiani contaminari videantur. Deum vivum colere, traditam Orientali more religionem usque ad diem vitæ ultimum perenniter custodire. Ad bellorum usum paratam legionis esse virtutem: ad committenda vero sacrilegia, sicut Cæsar præcepit, Octodorum non redire. [...]

<23>

Caput V.

Reversus itaque Satelles, nuntiat obstinatos esse animos legionis, nec velle præceptis Imperatoris obedire. Tunc Maximianus Cæsar iracundiæ nimietate succensus, ad hanc vocem subito furore *prosiliit*, dicens: „Ergone milites mei Imperatoria præcepta, et sacrorum meorum ordinem spernunt? Sanciendum erat vindicta publica, etiamsi tantum maiestatem

Regiam contemnere voluissent. Iungitur despectui meo cælestis iniuria, & mecum pariter religio Romana contemnitur! *Sentiat* contumax milies, me non solum mihi, sed etiam Diis meis dare posse vindictam. Iam fidissimorum meorum turba festinet: *decimum quemque* morti funesta sors præbeat. Discant æqali nece, quos ordo præmiserit moriendi, qualiter Maximianus vel sibi, vel Diis suis hac severitate deridit ultionem.” [...]

<26>

Caput VI.

Post hanc *vocem*, ad apparitores iussio infausta porrigitur, ad legionem velociter properatur, crudelia præcepta reserantur: traduntur neci, quos ordo reperit numerandi. *Læti* percussoribus cervices præbent; solaque inter eos est de gloriosæ mortis occupatione contentio. Perfecto itaque scelere, ut Octodorum legio redeat, iubetur. Tunc Mauritus Primicerius, paullulum a Satellitibus regiis segregatus, convocat legionem, & hac oratione sanctiores alloquitur:

Gratulor virtuti vestræ, commilitones optimi, quod amore religionis, nullam vobis Cæsar is præceptum attulit formidinem. Gaudentibus quodammodo animis tradi ad necem gloriosam, commilitones vestros vidistis. Quam timui, ne quisquam, quod armatis facile est, specie defensionis, beatissimis funeribus manus obviam afferre tentaret. Iam mihi ad huius rei interdictum, Christi nostri parabatur exemplum, qui *exemptum* <27> vagina Apostoli gladium propriæ vocis iusssione recondidit: docens, maiorem armis omnibus Christianæ confidentiæ esse virtutem. Hic Deus Christus plane mentes vestras manusque prohibuit, ne quisquam divino operi mortalibus dextris obsisteret, quin imo cœpti operis fidem perenni religione compleret. Hactenus exempla sacris inserta codicibus legamus: iam nunc per nosmet ipsos, quos sequi

debeamus, adspeximus. Ecce vallatus sum commilitonum meorum corporibus, quos de latere meo funestus Satelles abstraxit. Aspersus sum cruento sanctorum, & sacri sanguinis reliquias vestibus meis porto: & dubito eorum sequi necem, quorum gratulans admiror exemplum? Et vacat cogitare, quid Imperator iubeat, qui sorte mortalitatis æqualis est? Si habere aliquid virium Imperatoria præcepta potuissent, circa beatissimorum trium puerorum corpora, Regis Chaldæorum²⁰ valuiset incendium: nec ora leonum lacu clausus evadere Propheta potuisset. Sacramento olim dedisse nos memini, quod contemptu lucis istius, & desperatione <28> vitæ defensare rempublicam debemus. Iam tunc promisi mei corporis vilitatem, & spopondi hanc Imperatoribus fidem; nec tamen ullus mihi tunc regna cœlestia promittebat. Quid, Christo sponsante, faciendum est, si hoc potuimus militiæ devotione promittere?

Quirimo, fortissimi Commilitones, olim devotas animas subdamus pretiosissimæ passioni: sit nobis virilis animus, fides inviolata permaneat. Iam cerno ante Christi tribunal stantes eos, quos neci paulo ante satelles²¹ regius deputavit. Illa veri *gloria* est, quæ æternitatem beatam, vitæ huius brevitatem mercatur. Æ quali omnes animo, una voce responsum Satellibus demus, & id nunciemus: Milites quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionem Repub. Romanæ arma suscepimus: nec unquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ, fuimus aut ignavæ formidinis meruimus subire flagitium. Tuis etiam *obtemperaremus* præceptis, nisi institui legibus Christianis, Dæmonum cultus, & aras semper pollutas sanguine vitaremus. <29>

Comperimus præcepisse te, ut aut sacrilegiis pollueres Christianos, ut de denis imperfectis nos velis terrere. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce. Habebis

<p>potestati tuæ subdita omnium corpora: authorem vero suum respicientes Chris- tum animas non tenebis. [...] <33></p>	
---	--

Caput VII.

<p>Hæc vir sanctus dixerat: legionis prob- batur assensio, & Cæsari per Satellites nunciatur. Inclemsti præcepit iussione, ut iterum decimum renovatæ crudelitatis ordo consumeret. Post hanc vocem, ad le- gionem velociter properatur, crudelia præcepta peraguntur: reliqui vero, ut Oc- todorum redeant, iubentur. Tunc Expuri- rius quem ante Principem, vel Campiduc- torem²² superius memoravi, correptis le- gionis suæ signis, hac circumstantes orati- one confirmat.</p>	
--	--

<p>Tenere me, Committones Optimi, secularium quidem bellorum signa per- spicitis: sed non ad hæc arma provoco, non ad hæc bella animos vestros, virtu- temque compello. Aliud nobis genus eli- gendum est præliorum. Non per hos gla- dios <i>potestis</i> ad regna cælestia properare. Robur nobis opus est animorum, in- victaque defensio. Fidem, quam Deo pro- misimus, in ultimis custodire. Iam de Commititonum nostrorum gloria, quæ di- vinum cernit obtutum, gloriosus vir MAU- RICIUS est locutus: ego vobis victoriam plenam, si Christo creditis, <34> repro- mitto. Proiificant dextereæ vestræ arma ista cum signis militaribus. Præstabit hoc CHRISTUS, ut mox in ipso cœlesti, sicut promittitur, regno alia vobis EXUPERIUM vestrum videatis signa monstrare. Vadat quinimmo funestus satelles, & hæc truculento regi nunciet: Milites sumus, Imperator, tui; sed tamen servi, quod libere fatemur, Dei. Tibi militiam de- bemus, illi innocentiam. A te stipendium laboris accepimus; ab illo vitae exordium sumpsimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut authorem nost- rum negemus Deum, authorem – velis nolis – tuum. Non nos adversum te,</p>	
--	--

Imperator, armavit ipsa, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus ecce arma, & non resistemus: quia mori magis, quam vincere, *volumus*: & innocentes interire, quam noxij vivere, præoptamus. Si quid in nos ultra statueris, ignem, tormenta, ferrumque subiici parati sumus. Christiani sumus, persequi Christianos non possumus. Inexpugnabiles legionis istius animos, Cæsar, agnosce. Tela proiicimus: exarmatas quidem dexteras satelles tuusque sed armatum fide Catholica <35> pectus inveniet. Occide, prosterne, secandas gladiis, percussoribus services præbemus intrepidi. Hæc nobis iucundiora sunt, dummodo te cum sacrificiis tuis contemnamus, ad regna iam nunc coelestia properantes. Flagrabat enim iam tunc in beatissimis viris, martyrij gloriosus *ardor*. [...]

<36>

Caput VIII.

Hæc mandata legionis, remeans ad <37> Maximianum Cæsarem, satelles nunciat. At ille, cum talia audisset, obstinatosque in fide Christi cernet animos virorumque desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari: quasi nihil iterato fuisse scelere perpetratumque ire propere exercitum iubet, & circumfundi imperat legionem, nullumque de tanto Sanctorum exercitu præcipit relinqu. Ventum ita est. Circunsistit beatam legiōnem turba carnificum. Omnis ætas sine discretione perimitur, lanianturque beata corpora, & devotas Deo animas fideli mortis professione commendant. Operta est terra illic procumbentium in morte corporibus iustorum, fluxeruntque pretiosi sanguinis rivi. Quæ unquam rabies, absque bello, tantam humanorum corporum stragem dedit? Quæ feritas ex sententia sua, tot simul perire vel reos iussit? Ne iusti punirentur, multitudo non obtinuit, cum multorum esse soleta, quod multitudo delinquit. Hac igitur

cruelitate immanissimi tyranni, confectus est Sanctorum populus, qui contempsit præsentium, ob spem futurorum. Sic interecta est illa plane <38> angelica legio: quæ, ut credimus, cum Angelorum legionibus iam collaudat Deum in cœlis.

Peracta tandem cæde, inter omnes Sanctorum percussores præda dividitur. Namque Maximianus facultatem dederat, ut quisquis legionis illius militem iugulasset, interempti spoliis uteretur. Divisa igitur omni præda, ad vescendum, eupulandumque victrix turba consedit. [...]

<41>

Caput IX.

Interea *veteranus* quidam, & ultimæ ætatis senio fatigatus, nomine VICTOR, ad contaminatum coedibus locum itineris necessitate deductus est. Dum ad epulas, pro ætatis veneratione ab omnibus rogareturque requirere cœpitque quænam esset caussa lætitiae, quod inter tot corpora interemptorum, *gaudentes*, exultantesque possent milites epulari? Dictum a quodam est, quod Legio Christianæ studio legis, ceremonias Romanas, cultumque Deorum pariter cum Imperatoriis iussionibus contemnere voluisse, datamque neci esse, ut disciplinæ militaris traditus ordo, severius teneretur. Tunc Victor alte *gemitum* trahens, graviterque suspirans, detestatus convivas, detestatusque convivium, eclamat:

Heu me: qui per tot annorum militiam ad hanc ætatem veni, & et in hac legioine militare non merui. Quam bene inter tales gloriosæ mortis honore donatos, finem vitæ invenire potuissem? Saltem si commilitare indignus eram, vel me ante has duas horas viandi necessitas <42> detulisset, ut senilis pectoris cruar, tantorum virorum victimis misceretur. Obtuleram corpus hoc neci, dummodo tantæ laudis consortio non carerem.

Talia dicentem, prophanorum statim turba vallavit, quæ, utrum Christianus

esset, repondere minaciter iubet. At ille paululum oculos ad cœlum erigens, tali percontationibus sermone respondit:

Longus me vivendi usus ad hanc, quam videtis, perduxit ætatem. Quæcumque in hoc mundo aguntur, aut studium reperit, aut rerum volubilitas agit aut varius semper casus infestat. Quodcumque volumus optamus, scimus aut cupimus, totus mundus caligine submersus, tenebris circumfluentibus latet, nisi nobis aut viam Christus ostenderit, aut lumen Christi affulserit. Quod ego fideli mente perpendens, utinam ultimo contestor affectu quod si me ad tempus paulo ante trucidatae legionis, itineris necessitas detulisset, conviviis et epulis vestris horum funerum consortium prætulisse. Sed iam nunc præstabit Christus, ut Christianum <43> me, vel ob professionem meam, transire ulterius per beatam fūnera non sinatis.

Hæc eum loquentem subita percussoris obtruncat insania. Ita vir Sanctus *consortium* Sanctorum celeri confessione promeruit, cæterisque Martyribus in eo loco, sicut morteque ita & honore coniunctus.
[...]

<45>

Caput X.

Hæc nobis tantum de numerosa istorum multitudine Marytrum comperta sunt <46> *nomina*, beatissimorum MAURICII, EXUPERII, CANDIDI, atque VICTORIS. Cætera vero nomina nobis quidem incognita, sed in libro vitae sunt scripta. Nam ex eadem legione fuisse dicuntur URSUS & VICTOR, quos Solodori passos fama confirmat. Solodorus vero castrum est super Arulam flumen, non longe a Rheno positum.

Neque illud silendum, quem deinde Maximianus progressus exitum consecutus est. Cum dispositis insidiis genero suo Constantino²³, tunc regnum tenenti, morten moliretur, deprehenso dolo illius,

apud Massiliam captus, nec post multum strangulatus, impiam vitam digna morte finivit. [...] <48>	
--	--

Caput XI.

Neque hoc omittendum est, quod post longum temporis tractum, B[eati] INNOCENTII ²⁴ <i>martyris</i> membra Rhodanus revelavit. Iugi quippe alluvione vicinum in se cespitem vergens, religiosa quadam soli pernicie, ad sepulturam Martyris famulatrix unda pervenit. Prolatas namque reliquias leniter lambens, non ideo a sinu terræ protulit, ut in gurgitis sui procellam demergeret: sed ob gloriosam devotionem, quasi intra ambitum basilicæ cæteris Martyribus sepultura præciperet sociari. Cuius translationem sanctæ recordationis Domitiano Genevensi [um 480], & Grato ²⁵ Augustæ urbis, vel Protasio ²⁶ tunc temporis illius Episcopo celebratam recolentes, quotidiana devotione, & laudibus frequentamus. [...] <49>	
---	--

Caput XII.

At vero beatissimorum Agaunensium Martyrum corpora, post multos passionis suæ annos, sub Theodoro illius loci Episcopo, revelata tradunturque in quorum honorem cum ex[s]trueretur <i>basilica</i> , quæ vastæ tunc adjuncta rupi, uno tantum latera acclivis iacebat; sed nunc, iubente præclaro meritis <50> Ambrosio ²⁷ , loci illius Abbe, denuo ædificata, biclavis esse dignoscitur; quid <i>miraculi</i> tunc appa- ruerit, nequaquam tacendem putavi. Accidit, ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad hoc corpus vide- bantur, quidam esse aurifex, quem adhuc gentilem esse constat. Hic cum Domenico die, quo cæteri ad expectanda diei eius festa abscesserant, in eadem domo, in qua artem agebat, solus substitisset; in illo se- creto se subito manifestantibus Sanctis,	
--	--

hic idem aurifex rapitur, atqua ad pœnam, vel ad supplicia distenditur, & visibiliter turbam Martyrum cernens, verberatus, etiam increpatur, quod vel die Dominico *solas* Ecclesiæ deesset, vel illum ornatum operis sancti suscipere gentilis auderet. Quod ideo misericorditer a Sanctis factum constitit, ut artifex ille consternatus & territus, salutare sibi nomen posceret; statimque Christianus *effectus* est. [...]

<53>

Caput XIII.

Neque illud in Sanctorum miraculis prætermittendum, quod per eadem loca omnibus notum est, Materfamilias Quinti, egregij atque honorati viri, cum ita paralysi fuisset abstracta, ut etiam pedum usus negaretur; a viro suo, ut illuc per multum itineris spatium deferretur, poscit. Quo cum pervenisset sanctorum Martyrum basilicæ *famulantium* manibus illata, pedibus ad diversorium rediit, ac sanctitatis de præ mortuis membris miraculum suum ipsa circumtulit.

Hæc duo miracula passioni Sanctorum inserenda credidi. Cæterum, satis multa sunt, quæ vel in expugnatione Dæmonum, vel in restauratione claudorum, aut sanitate febrium, cæterisque infirmitatibus quotidie per *servos* suos virtus Domini operatur: quæ multa narranda sunt, si per singula scribantur. <54>

Tamen fidelium cordibus absque lectione cognita esse noscuntur, quæ, & quanta, & qualia miracula per servos suos, ad honorem & gloriam nominis sui, Dominus operari non desinit. Pro eo ipso, die noctuque psalmorum, hymnorumque decantatio non desistit: quod iubente Sancto, & præclaro Christi Martyre, B. SIGISMUNDO²⁸ *Rege* [Burgundionum] institutum, hinc usque hodie, Deo protegente, est conservatum. Propterea laudes servi Dei canentes, ore persolvunt illi, cui

est honor, & gloria, imperium & potestas, per omnia secula seculorum, Amen. [...] <56>	
--	--

Finis.

1605: L. Surius: »De vitis sanctorum omnium nationum ...«, Auszug

Cum in Gallijs pernitiosus tumultus contra Romanum Imperium excrevisset, Maximianus apud Italiam collecto exercitu simul Thebaeos milites, Mauritium, Gereonem, Victoremque, aliosque eiusdem ordinis viros, sacramentis fidei & salutaris baptismatis ab Hierosolymitano Antistite initiatos, in auxilium accersivit. Hi in expeditionem se conferentes, colloquio beati Marcellini Romani Pontificis in itinere confirmati, tandem ad Alpium iuga pervenerunt. Ubi cum intellexisset Maximianus, Cerausium in finibus regni Romanorum iuxta Oceanum, & Gallorum, Saxonumque confinia seditionem moliri praemisit per Rheni fluminis alveum, cum parte exercitus, praecipuos Dominici belli Duces, Gereonem, Victorem, Cassium & Florentium, quatenus sic nefarius impediretur inceptus: quae quidem causa fuit, cur sacri hi Duces a Collegio sanctissimi Mauritij fuerint seiuncti. Sed licet parumper loco & tempore, nequaquam tamen fuerunt separati martyrio. Etenim iam egregius Dux Mauritius cum suis apud Agaunum oppidum, iuxta Alpium radicem, in loco, qui Octodurum dicitur, quia sacrificare noluerat, semel atque iterum decimatus, gloriose martyrio occubuerat, cum tandem statuit impius Maximianus omnem legionem, ubicunque fuisse dispersa, trucidari. Itaque missi sunt milites & lictores. Qui praecedentium securi vestigia repererunt primarios viros Cassium & Florentium cum septem alijs iuxta Veronam civitatem in ripa Rheni fluminis considentes moxque de Orientali praesidio eos esse cognoscentes, saevientes contra eos, cum nec voluntate cordis, nec sententia responsonis a superioribus discreparent, submissis capitibus pro Christi nomine peremerunt.

Dehinc ad B[eatum] Gereonem eiusque socios trecentos decem & octo convolarunt: ad quos persecutor, nescio, velocius, an fama facti pervenerit. Progressi tamen paululum ante subsequentes carnifices in campus Agrippinae magnae civitatis, martyrij gloriam, sese invicem cohortantes, praestolati sunt. Quibus continuo supervenientes hi, qui missi erant a Iudice, nullam in eis tergiversandi, vel a proposito deficiendi voluntatem invenierunt, sed magis constantissimam nominis Christi confessionem. Ita ergo B. Gereon Dux & Martyr egregius cum illis Regis aeterni vernaculis, edomitis omnibus, quae ad huius vitae delectatione possent allicere, semetipsum Deo spontaneus obtulit. Insani vero tortores Sanctorum ibidem corpora cruentantes, per campi illius planitem traxerunt & in puteum quendam maximum proiecerunt. Monstratur usque hodie in loco, ubi S. Gereon trucidatus est sanguinis ipsius spectaculum, & ipse locus, Ad Martyres, ab incolis acceptum servat vocabulum. Demum simili ordine B. Victorem cum trecentis triginta militibus apud Troiam, sive Xanthum, eos insecuri pro Christo trucidaverunt: quibus accessit & sacer numerus militum aliorum trecentorum & quinquaginta, qui eo tempore de Mauritania propter frequentes Gallorum tumultus evocati, in Galliam navigio venientes similiter pro Christo necati sunt, & similem etiam venerationem cum B. Gereone & socijs obtinuerunt.

Literaturverzeichnis

- Eucherius. (1606). *Von dem Leben und Martyr der dapfferen weitberühmpten Thebeischen Rittern und Martyrern ... Konstanz.*
- Flörken, N. (2011). *Wie Cassius und Florentius nach Bonn kamen.* Manuskript, Troisdorf.
- Gibbon, E. (1776). *The History of the Decline and Fall of the Roman Empire.* London.
- Helinandus, F. (1852). Sanctorum Gereonis, Victoris, Cassii et Florentii Thebaeorum martyrum passio. In *Acta Sanctorum: Octobris*, Bd.5. Brüssel.
- Helinandus, F. (kein Datum). Sanctorum Gereonis, Victoris, Cassii et Florentii Thebaeorum martyrum passio. In Migne, *Patrologia Latina* (Bd. 212).
- Höroldt, D. (1957). Das Stift St. Cassius zu Bonn von den Anfängen der Kirche bis zum Jahre 1580, 2. Aufl. 1984. *Bonner Geschichtsblätter*, 11, S. 1 ff.
- Jäggi, C. (2005). Die Verehrung der Thebäerheiligen in Spätantike und Frühmittelalter. In Wermelinger et al. (Hrsg.), *Mauritius und die Thebäische Legion...* (S. 173 ff). Fribourg.
- Näf, B. (2005). Eucherius von Lyon, Theodor von Octodorus und ihre Legionäre. In Wermelinger et al. (Hrsg.), *Mauritius und die Thebäische Legion....* (S. 95 ff). Fribourg.
- Näf, B. (2006). Eucherius von Lyon, sein Bericht vom Martyrium der Thebäischen Legion und die Topographie zur Zeit des Überganges von der Spätantike ins Mittelalter. *Geschichte und Region/Storia e regione*, S. 13 ff.
- Passio Acaunensium martyrum auctore Eucherio episcopo Lugdunensi. (1896). In B. Krusch (Hrsg.), *Scriptores rerum Merovingicarum*, III (S. 20 ff). Hannover.
- Seeliger, H. R. (2005). Die Ausbreitung der Thebäer-Verehrung nördlich und südlich der Alpen. In Wermelinger et al. (Hrsg.), *Mauritius und die Thebäische Legion ...* (S. 211 ff). Fribourg.
- Seeliger, H. R. (2006). Thebäische Legion. In *Lexikon für Theologie und Kirche* (Bd. 9, S. 1386 f). Freiburg: Herder.
- Speidel, M. (2005). Die Thebäische Legion und das spätömische Heer. In Wermelinger et al. (Hrsg.), *Mauritius und die Thebäische Legion ...* Fribourg.
- Stewart, P. (Hrsg.). (1617). *D. Mauricius Thebaeae legionis dux et signifer.* Ingolstadt: Eder.
- Surius, L. (1605). *De vitis sanctorum omnium nationum, ordinum et temporum.* Köln: Quentel.
- Wermelinger et al. (Hrsg.). (2005). *Mauritius und die Thebäische Legion. Akten des internationalen Kolloquiums Freiburg, Saint-Maurice, Martigny.* Fribourg.
- Zelzer, M. (2005). Die Überlieferung der Passio. In Wermelinger et al. (Hrsg.), *Mauritius und die Thebäische Legion ...* (S. 325 ff). Fribourg.

Index

A

Aare 8
Acaunum 6, 8, 9, 24, 28
Aelianus 28
Amandus 28
Ambrosius 28

B

Bagauden 28
Basilika 28
Bischof 5, 28

C

Candidus 7, 8, 13
Cassius 24
castra 7
CCAA 24
Cerausium 24
Constantinus 8

D

Diocletianus 6, 12, 28

E

Eucherius 5, 28
Eusebius 28
Exuperius 7, 8, 13

F

Florentius 24

G

Gallia 24
Genf 5, 6
Genfer See 6
Gereon 24
Gratus 28

H

Herculius 28

I

Ingolstadt 28
innocentia 7, 17
Isaac 5
Isaak 5

Jerusalem 24

J

Kaiser 28
Köln 28

L

Lactantius 28
Lyon 5

M

Mamertus 28
Marcellinus 24, 28
Marseille 8
Martigny 28
Märtyrer 5
Mauretania 24
Mauritius 7, 8, 13, 15, 24, 28
Maximianus 6, 7, 8, 12, 13, 14, 18, 20, 24, 28

O

Octodurum 6, 12, 13, 15, 17, 24

P

Papst 24
Passio 1, 2, 5, 6
Protasius 28

Q

Quintus 9

R

Rhein 8
Rhone 6
Rom 28

S

Saint-Maurice 28
Salodorum 8
Salvius 5
Sigismund 28
Sulpicius 28

T

Tetrarchie 28

Index

Theodor 5, 8, 28

V

U

Victor 8, 19, 20, 24, 28
Vienne 28

Ursus 8, 20

X

Xanten 24

Anmerkungen

¹ Text auch in „Mauricius“, siehe unten, mit leichten Abweichungen und Ergänzungen.

² Eucherius von Lyon (* vor 410; † um 450) war Bischof von Lyon. Er stammte aus einer der angesehensten Patrizierfamilien Galliens. Um 410 siedelte er nach einer öffentlichen Laufbahn mit seiner Frau Galla und seinen Söhnen Salonius und Veranus, den späteren Bischöfen von Genf und Vence, auf die Klosterinsel Lerinum. Um 434 wurde Eucherius Bischof von Lyon. 441 nahm er an der Synode von Orange teil. Sein bekanntestes Werk ist die *Passio Agaunensium martyrum* über das Martyrium der Thebäischen Legion und St. Mauritius, welches er um die Jahre 430/40 niederschrieb. – Mamertus, Bischof von Vienne und gleichaltrig, schildert Eucherius als gelehrt, gebildet, wortgewandt.

³ Nach (*Passio Acaunensium martyrum auctore Eucherio episcopo Lugdunensi*, 1896, S. 39), möglicherweise ein Nachfolger des Theodor (s. Anm. 6).

⁴ Keine Erwähnung bei Lactantius, Eusebius von Caesarea und Sulpicius Severus: (Näf, Eucherius von Lyon, sein Bericht vom Martyrium der Thebäischen Legion und die Topographie zur Zeit des Überganges von der Spätantike ins Mittelalter, 2006, S. 15)

⁵ Weiter nichts bekannt.

⁶ Theodor († um 400 im Kanton Wallis, Schweiz) war Bischof von Octodurum (heute Martigny, Unterwallis, Schweiz). Er „entdeckte“ das Grab des heiligen Mauritius, eines Märtyrers der sagenhaften Thebäischen Legion, bei Acaunum (der heutigen Gemeinde Saint-Maurice). Über dem angeblichen Grab erbaute er um 380 (oder erst um 400) die Abtei Saint-Maurice.

⁷ Datierung nach (*Passio Acaunensium martyrum auctore Eucherio episcopo Lugdunensi*, 1896, S. 20).

⁸ Der keltische Ort Acauno/Acaunus/Acaunum/Agaunum zog wegen seiner strategischen Lage am Eingang zum oberen Rhônetal die Aufmerksamkeit der Römer auf sich. Nach der Eroberung richteten sie dort einen Militärposten und eine Zollstation ein, um Abgaben von den Händlern zwischen Italien und Gallien zu erheben, denn der Ort lag an einer der grossen Handelsstrassen, die über den Mont-Joux-Pass von Italien nach Germanien und Gallien führte. Heute Saint-Maurice.

⁹ Marcus Aurelius Valerius MAXIMIANUS (genannt Herculius; * um 240 bei Sirmium, heute Sremska Mitrovica, in Pannonien; † 310 in Gallien) war vom 1. März 286 bis zum 1. Mai 305 zusammen mit Diokletian Kaiser des Römischen Reichs. Im Jahr 293, als Diokletian die Tetrarchie einführte, wurde Maximians Schwiegersohn Constantius Chlorus, der Ehemann seiner Stieftochter Flavia Maximiana Theodora, sein Caesar.

¹⁰ Gaius Aurelius Valerius Diocletianus (* zwischen 236 und 245 in Dalmatia; † um 312 in Spalatum) war von 284 bis 305 römischer Kaiser. Diokletian führte 293 das Herrschaftsmodell der Tetrarchie ein.

¹¹ Heute: Martigny, im Kanton Wallis.

¹² Nicht eindeutig zu identifizieren bzw. abzugrenzen z.B. gegen Victor von Marseille u.a.

¹³ In zwei Handschriften zusätzlich: „sed nunc iubente praeclaro meritis Ambrosio huius loci abbate, denuo aedificata biclinis esse dinoscitur“ - (*Passio Acaunensium martyrum auctore Eucherio episcopo Lugdunensi*, 1896, S. 38).

¹⁴ Maximilian I. (* 1573 in München; † 1651 in Ingolstadt) war ab 1597 Herzog von Bayern.

¹⁵ Wilhelm Eder und seine Mutter Elisabeth, die später Andreas Angermaier heiratete.

¹⁶ Nach: (Stewart, 1617).

¹⁷ Bagauden (Bagaudes) wurden im 3. Jahrhundert und in der Spätantike bewaffnete Bauern und Hirten in Gallien und Hispanien genannt, die sich gegen die römische Obrigkeit erhoben. Ihre Anführer waren Amandus und Aelianus.

¹⁸ Für den Zeitraum von 260 bis 314 kommen Hymenaios, Zabdas oder Hermon in Frage.

¹⁹ Marcellinus (* 30. Juni 295 oder 296; † 25. Oktober 304) war Bischof von Rom.

²⁰ „Dan. 3“ – Die Geschichte des babylonischen/chaldäischen Königs Nebukadnezar II. und der drei Jünglinge im Feuerofen.

²¹ In der Vorlage: „satelles“.

²² = Exerziermeister.

²³ Siehe oben Anm. Fehler! Textmarke nicht definiert.

²⁴ „Innocentius war einer der christlichen Soldaten, der mit Mauritius und anderen Gefährten der Thebäischen Legion enthauptet wurde. Erzbischof Anno von Köln brachte 1069 eine Reliquie von Innocentius zusammen mit einer solchen von Mauritius aus St-Maurice in die von ihm gegründete Abtei St. Michael nach Siegburg; nach deren Auflösung 2011 kam die Reliquie in die Schatzkammer der nahen Kirche St. Servatius in Siegburg.“ – <https://www.heiligenlexikon.de/Biographien/Innocentius.htm>.

²⁵ Gratus von Aosta († 7. September um 470) war der zweite Bischof von Aosta.

²⁶ Protasius von Lausanne († um 650 im Kanton Waadt, Schweiz) war Bischof von Lausanne im 7. Jahrhundert.

²⁷ Abt Ambrosius (516–520) errichtete über dem ursprünglichen Heiligtum eine neue Basilika.

²⁸ Sigismund oder Sigmund († 1. Mai 523/24 Saint-Peravy-la-Colombe) war ein Sohn des Burgundenkönigs Gundobad und wurde im Jahr 516 dessen Nachfolger. Drei Jahre nach seinem Tod wurde Sigismunds Leichnam geborgen und anschließend in der Johannes-Kapelle in der Abtei Saint-Maurice (St. Maurice, Wallis), dem Kloster, das er 515 selbst gestiftet und in das er sich danach einige Zeit zurückgezogen hatte, beigesetzt.